

Voigt.
De jure de bienes en re
1704



29.

G. VOIGTH
DISCURSUS
DE JURE
De
BIENSEANCE,
hactenus intacto,
Anno 1704.

Angerpfaffen

Fo 2148



BIESENSEANCE

pergamentum discago

anno 1507.

50

G. VOLLE
DISCIPULUS

DE JURE

Curia: Roma

Constituta: Roma



REVERENDISSIMO

Atque

ILLUSTRISSIMO

DOMINO

DOMINO PHILIPPO

GUILIELMO,

S. R. I. Comiti ac Domino

à Boineburg,

S. Cæsareæ Maj. Consiliario Intimo atque
Camerario,

Ecclesiarum Metropolitanarum Moguntinæ
ac Trevirensis Canonico Capitulari,

Eminentissimi Archi-Episcopi Moguntini, ac
per Germaniam S. R. I. Archi-Cancellarii
& Electoris à Consiliis Sanctio-
ribus &c. &c.

**Comiti ac Domino meo
gratiosissimo.**

ipi

*REVERENDISSIME, ac ILLUSTRISIME
COMES,*

DOMINE GRATIOSISSIME

DOMINO PHILIPPO

GUILLERMO.

Protectionem scriptis quæ-
rere, perplexitatis signum
duco: Auctor etenim aut
defensione suorum desperando,
eorundem, si bona sunt, se pror-
fus reddit dissimilem, curam ex-
optans absentia animi; aut si ma-
la, Protectoris quæsiti Gloriæ
maculam detestabiliter conatur
aspergere. Sunt vero quidam,
qui

qui humilem inventorum oblationem securissimum credidere dedicationis modum, ceterum vel materiae dignitate, vel bona laboris intentione confisi. Ultimis accedens, REVERENDISSIMA AC ILLISTR. VESTR. EXCELL. audeo offerre primitias, quas veritatis conciliavit studium. Cicuta obviam fuit Gallica, quam dum in terram simplicis transplantavi puritatis, Aloënam postea inveni, acerbam quidem, sed corporum conservatricem, & non nisi post aliquot annorum spatium uni

X 3 forsan

forsan dulcissimè floriferam. Vi-
di, inquam, Gallorum Jus de Bi-
enseance, Basin unionis jamdu-
dum somniatæ, sed dum vidi, ve-
ritas huic basi superinstruxit alias
unionis speciem, adimplendam
sicut speratam. Interim dum hæc
scribo, experior, Circulum Tu-
ringiae Erfurtensem Jus de Bien-
seance felicissimè alio accepisse
sensū, ratum nempe suæ saluti ni-
hil convenientius, quam REVER.
& ILLUSTRISS. VESTR. EXCELL.
gratiâ plena, ac in his temporum
angustiis saluberrima Mandata &
Dir.

Directorium. Voti compos fa-
ctus sentit nunc Justitiam & Pa-
cem continuis nexus basiis, Sta-
tus unitos, unionem utique sub-
ditorum cordium, nec Alexandri
gladio solvendum, ex quâ RE V.
& ILL. VESTR. EXCELL. debitam
immortalitatis gloriam, dignos
successus, cum omnigenâ prospe-
ritatis perennitate devotissime
apprecatur

*REVERENDISSIM AE, ac ILLUSTRISS.
VEST. EXCELL.*

Hurnil, & obsequiosissimus
Servus
G. VOIGT.

Dilectiorum. Non combos iste
quis fons ducis Iustitiam & Pe-
ccatum iniquas peccatis. Sit
L. B.

Miraberis Lector Benev. dubio procul,
Tractatui Titulum Latino-Gallicum
præfigi. Quoniam verò nomen in
Latinis adæquatum & satis conveniens inveni-
re non potui, à te communicatum, si habes,
cum maximâ gratiarum actione reliquis dele-
tis, appo ni curabo. Vale.

C. VOGEL.

SECT.



SECT. I.

§. 1.

N omnibus rebus ordinem
quendam immo connexionem observari
continuam, demonstratu est facillimum.

§. 2.

Causam ejus agnoscimus ipsum Deum, qui ubique appellatur Deus ordinis; Segregemus Physica à moralibus, & quælibet separatim inspiciendo res fieri clarior.

§. 3.

In Mætronōσμω seu Mundo supralunari mirum stellarum fixarum ordinem, & (five Tychonis sive Copernici admittamus Hypothesin) immobilem distantiam non minus quam in Planetis aut Erraticis ita dictis, cursum nunquam errantem vel extravagantem admiramur.

§. 4.

Connexionem proinde earum, præcipue fixarum, inter se ipsas & quoque Planetas Tychonem sequentes in globo cœlesti invenient; Eandem verò cum Mætronōσμω seu mundo sublunari, imprimis Planetarum Astrologi maximam, Astronomi nullam, nos aliquam quidem sed Physicis adhuc incognitam esse credimus. Sanè Solis influxus etiam in vulgus sunt notissimi, Lunæ vires in teneris ac morbidis, Oceanoque aliquantis per (occasionaliter licet magis quam causaliter) emovendo negari nequeunt. Fixas quoque nostri respectu sine

A effectu

effectu quamvis subtili non esse, cum nihil frustra, omnia
verò in commodum quendam etiam hominum facta
sint, haud dubitandum.

§. 5.

Terram ipsam quod attinet, ex formâ ejus sphæri-
ca secundum Geometras (non abstractivè quidem hic
sumitur) perfectissimâ, generalis, tamen pulcherrima
apparet coherentia; In partibus autem specialem con-
nectionem in mappis per Isthmos per Montium Juga ex-
planant Geographi.

§. 6.

Mittamus longissimè à nobis remota, Videamus
nunc ordinem & connexionem notiorum nobis in sensu
Physico. In inanimatis elementorum innumeris modis
& gradibus commixtorum arctissima invenimus vincu-
la, igne subtili utpote purissimo dissolvenda. In animatis
nota est conjunctio diversarum animarum secundum
aptitudinem corporis organici, multo magis verò ad-
mirandam & artificiosissimam plantarum structuram,
infinitarum porrò arteriarum venarumque stupentam
coherentiam ac circulationem sanguinis in Animanti-
bus majoribus monstrat Anatomia.

§. 7.

Redearnus nunc unde discessimus. Cum omnia
quæ sensus incurruunt generali in levia & gravia subjace-
ant divisioni, hæc verò membraque ejus non nisi ex mo-
tu oriuntur, qui in propulsatis, minimum in cadentibus
semper observatus rectilineus corporum argiat ~~at~~ ^{at} ~~at~~ ^{at},
quâ unum (Vacuistarum opinionem jamdudum explo-
sâ) tangat alterum, & ultimum demum primi occupet
locum; ipse motus verò per primum principium: Nihil
a se

à se ipso sed ab alio moveri, substantialiter esse non pos-
sit, sed aliud superius presupponat; Et ipsum ordinem
ac coherentiam in Physicis, & ejus causam, sumum
demonstravimus Nunquam.

SECT. II.

§. 1.

VENIMUS nunc ad secundum membrum divisionis
generalis suprà Sect. præc. §. 2. memoratæ, nempe
ad moralia, & idem in his qui in Physicis conspicuus erit
ordo & connexio.

§. 2.

Adduximus ibidem in Declaratione causæ teno-
rem verborum Apostoli, interim non negando ea ex il-
lius mente secundum contextum potius de moralibus
quæm Physicis esse intelligenda. Quam igitur causam
in illis eandem & in his agnoscimus, admittentes nihil
minus alias inferiores quæ tamen solummodo sunt in-
strumentales seu instrumenta ipsa, uti per supradicta,
imprimis per doctrinam motū §. 7. paucis literis com-
prehensam ad oculum est positum, & per ea quæ se-
qvuntur ~~apparebit in reliquo~~. Itaque cum nomine,
non re instrumenta sint causæ, ecquis amethodias me-
poterit insimulare, quod intuitu gravitatis materiæ (in-
vilioribus aliud concedo) primò veram causam, deinde
subjacentes non tam nominaliter quam realiter indica-
verim.

§. 3.

Primus igitur ordo & connexio erit inter Deum &
omnia quæ sunt realiter; Per eum autem intelligimus
respectum creaturarum ad creatorem, & viceversā.

A. 2

Nam

Nam sicut creatori & conservatio competit, ut, si hæc desineret, omnia statim perirent, ita econtrario res creatæ & conservatæ conservatoris gloriam & Majestatem in omnibus suis actionibus resp. exhibent & exhibere debent. Ethic est primarius finis dictæ relationis; procedamus nunc ordine.

§. 4.

Confirmati sumus per Sacram Scripturam esse Spiritus seu *άτωμα* Angelos & Diabulos, Ridiculas vero eorum Definitiones aut per circulum vitiosum aut privativè compositas non tam nostræ ignorantia quam quorundam more Sperlingiano omnia definientium curiositati Scholasticae imputamus, satis contenti revelatione divinâ: Diabulos esse Dei & hominum hostes, illi subjectos, sed permissivè in hos potentes, Angelos servos & fideles pueris amicos. In utrorumque vero multitudine innumerabili ordinem & Relationem magis & minus potentium, seu, ut sine ulteriore potestatis unius in alteros descriptione vocantur: Principatus &c.

§. 5.

Differentia inter animata quæ intelligunt quid & cur agant, & illa quæ hæc non intelligunt, pro diversitate animarum quæ insunt, ponitur, Interim animalia præsertim majora tali intelligentiâ non penitus esse destituta rationes multæ adducuntur; Certum est humana sapientiam huc jamdum non venisse, cum ipsis quid anima nostra sit, non nisi per nomen denotativum, Spiritus, monstrare queamus. Notemus interim quod ad scopum, inter animata irrationalia nullum alium versari respectum quam dispositis viribus magis & minus potentium. Hominum vero Dominio & usui subjecta sunt

sunt in quantum secundum Scripturam lapsus Adami non nocuit.

§. 6.

Animam humanam consideramus non in statu separato sed coniuncto , nempe cum corpore humano. Ita creatus est homo, ita in Paradiso accepit Genes. I.v.28. Dominium illud gloriosum & fermè Majestaticum totius terræ , omniumque in illa quæ inveniuntur rerum & fructuum sine miseria. Post lapsum res quodammodo aliter se habere cœpit.

§. 7.

Titulum ad terram à Deo maledictam retinuit Adam , eumque ad hæredes transmisit, sed plenum illius Dominium non latius se extendit quam ejus possessio. Nec optis erat inter posteros ad introducenda talia dominia pactis sive expressis sive tacitis , cùm mundus vacuus cuncta superflua & quæ quisque sibi sumserat aut possederat, ipsi non nisi injuriâ & læsione , quam Natura ab initio prohibuit eripi poterant.

§. 8.

Cerebrina igitur & vana illa communio sive negativa sive positiva posteriorum Adami. Nam miserabilis labore agri Adamo adjudicato , filii ejus Cain erat Agriculta, Abel Pastor , & quis ita non videt naturâ injustam fuisse læsionem si Abel limites culti fratris aut Patris agri cum suis pecoribus ad fructuum consumtionem & interitum transgressus fuisset. Illum igitur non pactum quoddam sed patris & Cainis sumta prius possessio laboriosa à re alterius retinuit.

§. 9.

Afferunt communionem sine distinctione tempo-

A 3. quinque annorum,



rum, probant dictis Horatii, Virgilii, Justini &c. Patribus
sanè Ecclesie eminentibus. Sed quoniam ex S. Scriptu-
râ, quæ & plura huc pertinentia monstrat, statim ab ini-
tio vidimus Agricolas, Pastores &c. ante diluvium com-
munio non fuit. Post diluvium illius præsumptionem
ædificatio turris Babelicæ poterat inducere, verum cum
jam antè Imperii Nimrodis fuerit facta mentio, cui quo-
que Babel subjecta, omni procul dubio aut persuasione
aut permissione Superioris dicta ædificatio cœpta, in ea-
quæ nulla communio alia, quam quæ in muniendis civi-
tibus laboris & commeatus hodienum videtur, fuit,
nequaquam dominia singulorum excludens.

§. 10.

Interim notandum quod distinguendum sit inter
fructus terræ laboriosos & otiosos, quorum primos o-
diosos, licet à Deo statim post lapsum hominibus assi-
gnatos, nostri sapientes apud Protoplastorum successo-
res volunt nescire subinde provocantes ad seculum illud
aureum seu potius bestiale ubi homines à bestiis nullo
alio quam nomine differebant. Certè pudeat Christianos se ab Ethniciis Poëtis pati in tantum seduci, ut pau-
culum illud veritatis cum maximis figmentis quibus in-
crustatum est indistinctè pro infallibili accipient. Et
sanè quod aureum seculum attinet, absurdum est, illud,
sicuti describitur, ad tempora antediluviana & etiam sta-
tim postdiluviana retrotrahere, cum ipsi Ethnici illud
cum suo vietu suino ad tempora Saturni in solâ Italiam spe-
ciatim referant & ponant. Credibile utique est pri-
mos occupatores novarum terrarum ab initio, cum arva
nondum essent culta, aliis vixisse; Sed talem statum in
totô orbe simul statuere contra S. Scripturam, ut supra
dictum & insipidum.

§. II.



§. II.

Sed ad rem, cum Dominia singulorum essent introducta, ex naturâ hominum corruptâ, & pro corporum proprio, quod est quiescere, oriebatur ignavia, inde necessitas, postea concupiscentia rerum alterius, ex hac injuriæ & cædes. Porrò qui viribus corporis & astutia plus poterant superioritatis speciem cum iisdem effectibus in impotenteriores prætendebant. Cum filii piorum filias impiorum imprægnarent (absit somnium libri Enoch) fit mentio Tyrannorum Genef. 6. in pœnam utrorumque genitorum. Nullibi pressis auxilium. Unde sicuti Deus apud Prophetas injustitiam erga proximum sœpe magis exprobravit suo populo quam injustitiam erga se ipsum, ita & eō tempore statum licentiosum plenum rapinis diluvio puniendum generali judicavit.

§. IZ.

Post diluvium erant homines, erant, uti suprà monstratum, Dominia, erat etiā in justitia, oritur Nimrod, qui NB. cœpit (probent qui afferunt Reges Ægyptiorum, Chaldaeorum &c. antediluvianos & ante Nimrodem) esse potens in terrâ, & fuit potens Venator coram Deo. Ex quibus verbis præsertim ultimis aliud, quam eum fuisse persecutorem & coactorem Latronum ac hominum facinorosorum, suspicari non auderem.
per illas

§. IZ.

Facile quoque credo primos Reges non per ambitionem populararem sed spectatam inter bonos moderationem ad tale fastigium proiectos esse. Necessitas uegebatur judicium. nomine vero magis quam secundum hodiernam definitionem eos fuisse Reges, plurimis foret
appli-

applicable, videatur lib. i. Mosis. ubi tot Reges quotur
bes; imò Reges Sodoma, Gomorrah &c. suberant Re-
gi Kedor Laomor, Rex Melchisedech erat Sacerdos. Pau-
cis: Regis nomen non præcisè importabat Majestatem
in terrâ independentem, sed qui talem habebat, poterat
& aliò nomine appellari.

§. 14.

Videtur Regium nomen maximam vim & dignita-
tem consecutum fuisse in confirmatione Regis Saul. E-
narrantur eô loco jura Regis, sed certè mitius ibi popu-
lus Dei punitus quām inconsideratus desideravit Re-
gem. Etea sine consequentia legi palam est.

§. 15.

Notabimus posthac Causam efficientem Majesta-
tis esse Deum, colligimus hoc ex consequentia Superio-
ritatis cum nemo alias sit superior, probavimus ex Sacra
locis Scripturæ; Nam si rationis meræ conclusiones
sequeremur, populi consensus foret ad hoc necessarius
expressus magis quam tacitus.

§. 16.

Omnes verò reliquas species, Aristocratiam, De-
mocratiam &c. quando nullum in terrâ agnoscunt Su-
periorem, habere Majestatem ex suprà memoratâ Defi-
nitione clarum videbitur. Et quæ magnificenter Ma-
jestas quām in mixto statu Romano.

SECT. III.

§. 1.

Vidimus ordines & connexiones, vidimus Dominia
in mundum introducta, inde ortas injurias, origi-
nemque Judicium & Regum. Jam sicuti globosa terræ
con-

connexio perpetuam ubique coherentiam physi-
cam, ita Dominium agitorum inter privatos & Superio-
ritas territorialis cuiusque Majestatem habentis insepa-
rabilem arguit vicinitatem.

§. 2.

Quaritur nunc an Jus ex tali coherentia & vicinita-
te, uti eam descriptissimus, oriatur? Unde quo satissimi-
possit huic quæstioni, distinguamus inter Jus Superio-
rum & Inferiorum seu Subditorum & Regentium (La-
tior enim respectu tertii, qui non Jus publicum sed Ma-
jestatem vicinitatis agnoscit, hæc distinctio quam Juris
privati & publici) Ubi notandum Reges & Principes
mediatos planè excipi & nihil hic agere.

§. 3.

Esse tale Jus Majestatem habentis in vicinas Regio-
nes sive independentes sive ab alio dependant indistin-
ctè assentunt nonnulli, in primis Galli, ex quibus M.P.
BE. IV. TH. Autor de la Declaration du Droit de legiti-
me succession sur le Royaume de Portugal, apartenant
à la Royne mere du Roy tres Chrétien, quæ declaratio
edita à Anvers, 1582. ita scribit: Le plus grand droit &
succession plus assurée que les Rois & Monarques de la
terre puissent pour la plus-part rechercher & soient ac-
coutumés de pretendre, sur les Empires, terres & Sei-
gneuries de leurs Voisins, et appuiee & prent son fon-
dement sur la bienseance, ou roideur de leurs armes,
conservans leur jouissance & de jour en jour augmen-
tans icelle, par la force & longeur de leur espee; parce
qu'ils disent que par la premiere naissance & naturelle
constitution du monde, il est bien à propos, que le fort
maistrise le foible, & que suivant l'opinion de Brennus

B

& du

& du Centenier de Cæsar la raison gist à la pointe de l'espee, aussi le party vainqueur & tousjours agreable aux dieux : A ce propos disoit Agesilaus que les bornes & limites du Royaume s'accroissent & s'étendent le plus souvent jusques au lieu que la pique lancée par un fort soldat peut atteindre : Ce que recognoissant pour certain ce tant renomé & redoutable Pyrrus, de la race du Grand Alexandre, répondit à ses enfans, qui desiroient sc,avoir de lui, le quel d'entr' eux il vouloit choisir pour son heritier & successeur au Royaume des Epyrotes que nous appellons Albanois, que ce servit celuy là qui auroit son dard le plus aigu, & qui se sc,auroit le mieux aider de l'épee pour la conservation & garde de sa Couronne.

§. 4.

Etenim hunc autorem hæc non doctrinaliter sed narrativè protulisse crediderim, cum & in fine prætensionum Henrici de Bourbon in Regnum Navarræ adjungat : Castellanos & Arragonenses post mortem Reginæ Blancæ uxoris Johannis II. ejectionem naturalis Domini è Navarrâ semper animo agitasse : Qui ét, inquit, une chose de tres-mauvais & dangereux exemple pour les Princes, s'ils permettent que les plus accors où plus puissans sans raison s'emparent de de l'état de leurs voisins plus faibles & plus petits. Sed cum hæc in maximo fervore animi dixerit, & tamen tantam æstuationem qua ceterum in toto opere & singulis lineis appetet, non indicent, verbis quoque in §. præced. positis totum laborem inchoët, & sine ulla facia admonitione ulteriore ad explicationem modorum quibus imperia occupantur & lites successionum in iisdem dirimun-

rimuntur, subsumtivè descendat, certè tacitæ Juris de-
scripti approbationis suspicionem non effugit, mini-
mum quod suo Regi non vult fieri, alteris faciendum
& in alios Juris esse, in prætensionibus ad Regn. scilicet
Neapol. statuere videtur.

§. 5.

Inter noviores Colbertus quando de amicitia Ita-
licorum Principum cum suo Rege continuanda differit
concludit eos nunquam se posse contra Galliam armare
nisi auxilio sibi necessariò suspectorum. Profectò, in-
quit, linea adhærent Austriae cui velint, unum idem-
que timendum: Si linea Germanica prætendit: Itali-
cos Principes esse Vasallos Imperii, quâ lege ipsis potest
imperare; Hispania habet le Droit de Bienseance sur
eux, cujus certè non est minor vis quam reliquorum
omnium.

§. 6.

Pertinent ad hanc materiam effatum illud Impe-
ratoris cuiusdam Turcici: Se in omnes Regiones, quas
acinace suo posset attingere justam habere prætensi-
onem.

§. 7.

Erant hæc prætenſa in parem uno certo respectu in
superiorem. Et perspicuum est, externa Portæ bella
omnia hoc jure niti. Interim certum Thesaurum Tur-
cicum Augmentum Divitiarum per mortem Bassarum
hodiennū exinde capere. Sicuti Gallia quas cepit vires
internas per attractiones liberarum seu independenti-
um quondam ut & feudalium Provinciarum jure ex sitū
quaestō, cum nullum aliud supersit, consecuta est.

Eliciuntur prædicta ex evolutione verarum causarum. Nam licet aliae in medium proferantur rationes, quibus memoratae retractiones justificantur, tamen falsas esse mox patebit. Nos Rois, inquit du Haillan, ne ne les (Proceres Gallæ ditiones per modum feudorum, aliosque possidentes) pouvans supporter, peu à peu commencerent à y remédier, leur imposans par finesse des crimes de felonie, desquels étants convaincus, leurs terres étoient empiétées. Voilà comme sont venus à la Couronne le Duché de Normandie & Aquitaine, les Comités d' Anjou, Touraine, Poitou, de Maine & autres, comme nous dirons. Aucunes sont venues par Alliance, comme Thoulouse, Champagne, Brie & Bretagne. Autres Seigneurs ont perdus leurs états cependant qu'ils s'amusoient aux Voyages des terres saintes, d'où nos Rois ont pris occasion de profiter, comme nous dirons aussi. Ainsi les Duchés & Comités reunis à la Couronne, une autre forme des Duchés & Comités naquit en France : Car de petites Bourgades & Seigneries ont été faites Comités & Duchés. Cela faisans nos Rois afin qu'ayans incorporé sous leur puissance la plupart des anciens Duchés, il n'apparut qu'ils eussent effacé les anciennes dignités qui semblent embellir ce Royaume entre les autres. Igitur cum falso prætendantur in personas, dum secundum dicta crimen feloniae ipsis inculpabatur par finesse, & aliorum, laudabili causa & Religionis ergo absentium, regiones occupabantur, minimèque exemplum minoris Britanniae cuius Ducissa hæreditaria Maximiliano I. Imperatori ao. 1491. despontata, à Carolo VIII. in itinere ad sponsum vi fuit

reten-

retenta, legitimaque uxor Imperatori, cuius filia ; remissa, quô Carolus ipse criminis capitalis se reum fecit, acquisitionibus per pacta aut matrimonium poterat annumerari ; Aliud profectò Jus his incrementis internis, Galliæ sub Ludovico XI. præcipuè obventis, dabit titulum. Et certè cum in nulla alia lingua , licet ibidem quoq; hoc jus realiter viguerit, appelletur, Galli gloriam habent, se sœpius practicata re tandem dixisse nomen.

§. 9.

Examinent nunc itidem , qui velint, Jura & prætensiones plerasque Galliæ in exteris & vicinas Regiones, paucò labore hoc ipsum ubique invenient. Ac licet negari non possit, nullum Regnum penitus ab hoc Jure esse aut fuisse mundum , tamen confitendum quoque mihi, me, uti jam dictum, nunquam potuisse in ulla linguâ ejus invenire nomen adeò congruum & expressivum. Primus sicuti fuit Auctor §. 3. hujus Sect. memoratus , qui hoc , quod sciam, prodidit ; ita plurima, novioribus tacentibus de illo explicuit, quæ nunc videamus.

§. 10.

Conjungit maximum Jus , & securissimam possessionem, ac utrumque, ait, se fundare sur la Bienseance. Jam cum sine methodo occasionaliter scribat, ejus verba secundum regulas & ordinem examinare frustraneus foret labor. Sensus est: La Bienseance facit maximum Jus & possessionem securissimam.

§. II.

La Bienseance est compositum & derivationem habet à bien & seoir, benè & sedere. Quatenus decoram vestimentorum cum corpore convenientiam (unde:

Cela luy sied bien, das sieht Ihm wohl an/ lässt Ihm
wohl/) aut, satis impropriè, Morum gratiam & orna-
mentum denotat, hue non pertinent. Quando verò
Jus quoddam aut Titulum Juris Imperium habentis in
vicinas Regiones & urbes exprimit, nostræ h. l. est signi-
ficationis.

§. 12.

Vocat Auctor maximum Jus & securissimam pos-
sessionem, qui Superlativi inde adjecti, quod illud con-
sistat in vigore & potentia armorum. Jam cum Majes-
tatem habentes, neminem nisi Deum & Ensem, secun-
dum vulgata, de quibus alibi, cognoscant Superiorem,
utique maximum poterat esse. Securissimum est, quod
eo tantum possit uti reliquis potentior, unde tandem de-
venitur ad potentissimum, regrediendum porrò à Su-
perlativo ad Comparativum, à Comparativo ad positi-
vum; En Rationem subjectam ex mente affirmantium
(posito, sed non concessò Auctorem diffensisse) per pri-
main nativitatem & naturalem constitutionem mundi
maxime conveniens esse fortem dominari infimo.

§. 13.

Quod dictum, est facti, & deficit ulterior probatio.
Conveniens hoc sensu non est de necessitate inevitabili.
Unicò verbo Potentia dat Jus , arma possessionem ;
Cùm verò quilibet sanæ mentis & non literatus distin-
guat inter potentiam & arma sumta justè aut injustè, ex
applicatione qualitatum patefiet & Rationis & Juris
possessionisque nullitas.

§. 14.

Absint dicta Sacrilegii Brenni, & vilis centurionis
ipsius usurpatoris Patriæ. Agesilai virtuosi effatum non
est

est positivum & simpliciter affirmans. Et Pyrrhus, uti ex
textu apparet, desideravit in Successore arma acuta, non
ad Ampliationem sed ad conservationem Regni Paterni
contra injustos invasores, quare hic cur allegetur non
video.

§. 15.

Itaque cum falsa sint argumenta, falsum quoque
erit Jus conclusum. Sed cum abusus non tollat usum,
& fuerit facta mentio potentiae & armorum justè aut in-
justè sumtorum, mittamus nunc membrum indeque or-
tum Jus falsum, & videamus quid producant Potentia
& arma Justa. Haud tamen abs re erit antequam trans-
eamus, dum agri campum, campi Regionem, Regiones
Regnum ex connexione Physica suprà Sect. I. §. 5. me-
moratâ confiant, semper unum alterum attingat, &
tandem totam terram componant, ab agris & campis ad
Regiones & Regna, ab imis ad summa ascendere, & in
utroque quid Juris obtineat, exponere.

SECT. IV.

§. 1.

Distinximus suprà §. 2. Sect. III. inter Jus Superiorum
& Inferiorum seu Subditorum & Regentium. Jam
videamus an subditis competit ex vicinitate Jus quod-
dam in bonâ alterius; & tale esse, erit, licet non abso-
lutè, afferendum.

§. 2.

Occasionem hoc Jure utendi dat alienatio. Juxta
Friderici Imp. constitutionem vicinum rem extraneo
venditam retrahere posse traditur, quamvis alii, impi-
mis Saxonici, potius Consuetudines & Statuta locorum
atten-

attēndenda esse , & non obtinere hoc Jus nisi ubi singu-
lari Consuetudine vel Statuto introductum doceant.
Interim in fortioribus terminis , ait Gaius , valere con-
suetudinem seu Statutum jubens rem vendere potius
vicino quam alteri eodem pretio , in multisque Italiae
Civitatibus quoque talia esse Statuta , cum allegatis , per
rationes Obs. 19. Lib. 2. adductas , de quā Praxi in multis
aliis Regionibus testantur Harprecht. Kopp. Tiraqu.
allive.

§. 3.

Oritur hic Retractus ex Congruo , unde Jus Congrui , quod in Loci ubi viget , nudam vicinitatem , in Tu-
ringia quibusdam Conditionibus effectam , nempe ut
prædio seu agro petentis quondam fuerit unita illa pars
quæ extraneo est vendita , das Gespieldte / pro funda-
mento habet.

§. 4.

Illud Jus in fructibus pendentibus in herbâ adhuc
existentibus ac pedagiis & similibus , usufructu fundi
venditi locum habere , ac dari si res pro parte vendatur
& pro parte donetur statuit , & Principem posse cum ex-
traneo dispensare , ne propter Jus Congrui Retractus à
vicinis turbetur , rationibus probat & exemplis Alphon-
si Arragonensis illustrat Matthæus de Afflictis in singu-
lari tractatu de Jure Protrimis . & qui plura desiderat in
hac materiâ notatu dignissima adeat Baldum de Ubaldi-
dis , Robertum Marantam . M. Mant. Bonavidium , Se-
bastianum &c. Qui Constitutionem Friderici saltem ad
Regnum Neapolitanum (quod quidem non satis proba-
bitur) cum duobus prioribus eam explicantibus Aucto-
ribus pertinere putant , videant Martinum Pegium , An-
dream

dream Tiraquellum, Reinking. Rol. à Valle, Rhetium,
ac ab his & suprà quoque allegatos non ex professò sœpè
sed datâ occasione agentes Doctores.

S.5.

Sanè hoc Jus sive per legem sive consuetudinem
aut Statuta introductum haut levibus nititur rationibus,
evitandis enim discordiis & rixis quæ possent oriri inter
vicinum & novum Emptorem, proinde communi civita-
tis bono conduceat, & multa in Jure conceduntur ratione
vicinitatis etiam contra Jus commune, quæ alias non
concederentur text. est. & ibi gl. 1. in C. quoniam 12. qu.
1. & in C. cum longè 63. distinct. & in cap. 1. de consecr.
Eccl. vel alta. lib. 6. Uniuntur bona, proinde perfectio-
ni proprius accedit, maxima accrescit retrahenti com-
moditas, qui præterea quoque tempus quod tractandis
bonis hinc inde longè latèque dissipitis consumere debe-
bat, melioramentis coherentium potest impendere.
In locis ubi requiritur **das Gespielde** prædictis accedit
conjunctio onerum & Recognitionum, censuum &c.
inde pulcerrimus ordo & securitas Reditum, & cum
sœpissimè, ubi viget Jus congrui concurrat cum Retra-
ctu ex sanguine fluente. licet utroq; fundamento expe-
riri non sit necesse, tamen si quis Retractum ex congruo
elegerit, eundem optatum sentiet effectum, res nempe
majorum in suâ familiâ manere, cum triste & lugubre
sit videre paternas & avitas domos ac antiqua majorum
prædia in extraneas manus transire arg. I. 38. ff. d. R. V.
1. 35. ff. de Minor. L. 22. §. nec verò. C. de Admin. Tut. &
quas allegat Gail. obs. 19. L. 2. n. 1. Itaque quoad hunc
Effectum iisdem fulciri rationibus quæ substruuntur Re-
tractu ex sanguine, apparet. Notabilis quoque casus

C est,

est, cùm è tribus fratribus unus vendat extraneo, reli-
qui duo velint retrahere, & alter habeat congruum seu
partem prædii venditi, sine dubio tertio fratri, qui so-
lunmodò ex sanguine petit, anteponendus erit.

S. 6.

Ad objectiones quibus hujus Juris impugnat^{ur} Ju-
titia, respondere effet actum agere, præsertim cùm ea-
rum vis decepta sit ex Legibus quarum ipsarum justa æ-
quitas vocatur in dubium. Opponitur L. dudum. 14.
C. de Contrah. Emt. Vend. in quā rationes, cur non va-
lere possit tale Jus, adductæ: quod homines suo arbi-
tratu vendenda non possint distrahere, & gravis videatur
subesse injuria, quæ inani honestatis colore veletur, ut
homines de rebus suis facere aliquid cogantur inviti. Ve-
rū cum vendor jure nostro suum, quod poterat con-
sequi maximum pretium, habeat, & donec illud conse-
quatur, remedia & extraneum plus dantem querere li-
cita sint, utique vendere potest sine damno & sepiissimè
cum magno emolumento, sed quod ad arbitratum at-
tinget, miror pertinacis vicini aut consanguinei invidiæ
& inimicitia tantum concedi velle, ut ad perdendum fa-
miliæ proximi splendorem, extraneis. quod illis Jure
debebatur, veniat emolumentum indeque profecto
inanis honestatis color est, sub specie arbitratus & libe-
ræ voluntatis odiosè vicinitatis nocere officiis, his major
fides præstanda quam extraneis. Rumpuntur subtilita-
tes Emptionis, aut potius, ut Juridicè loquar substituitur
loco Emotoris ille qui debebat verus esse Emotor, alter est
indemnis, & tandem pœnam in conscientia mereri ta-
lem venditorem, ex moralibus foret demonstrabile.

S. 7.

Proinde aut allegatam legem ad hos casus planè non pertinere erit asserendum, quales ferè habuit Cogitationes Hottomannus comm. de verb. feud. verb. Retract. aut eam inter abrogatas ponendam facilius credendum. Constitutio Friderici Imperat. laudatissimi, ex Novella Lacapeni uti volunt, desumta, quæ utique ab Imperatore Germano, omnibus data, nos magis obligat quamque postmodum praxis variè secuta, ut æqua iusta, rationibus nisi, majorem meretur fidem.

§. 8.

Sanè non scivi quid dicendum, cum multos inventirem DD. qui hujus Juris æquitatem & fundamenta narrabant & approbabant, in eodemque contextu & halitu odiosum illud appellabant, ait Wesenbec. P. 3. Conf. 79. n. 58. quod Contractum Emtionis resolvat, sed responsum est. De statuto hoc Jus permittente idem, quia contra Jus commune introductum sit, affirmant Tiraquel. in p. 5. n. 50. &c. Ringitzer & Carpz. led partim explicitè partim implicitè sibi, ut prior, ipsi responderunt. Utique hæc jura tanquam amicitiæ, generis, familiæ, & vicinitatis conservatrices secundum Gail. alleg. loc. non odio sed favore potius dignæ sunt.

§. 9.

Ceterum quoque incolis alicuius vici competit Retractus L. un. C. non licet. habitat. metrocom. XI. de cuius Praxi hodiernâ in nonnullis locis testatur Brunnenm. in d. I.

C 2 SECT:

SECT. V.

§. 1.

Considerato Subditorum Jure , unicè restabit videre
Can Regentes quoque inter se Jure quodam ex vici-
nitate & situationis convenientia fluente , seu unico
verbo ut pure dicam quod la Bierseance habeat pro
fundamento , gaudere possint.

§. 2.

Sed antequām respondemus , ante omnia erit
considerandum , Regentes esse vel mediatos qui aliis
subsunt , vel immediatos & independentes , qui Ma-
jestatem plenē habent , de illis jam supra dictum quod
nihil hic agant & planè excludantur ; de his dubitari
poterat , Sed quoniam , quantum ad personas , par
in parem non habeat imperium , neque ulla ratio fir-
ma alia inveniri queat , & quæ adducuntur , in Sect.
III. explicatæ , carumque nullitas monstrata sit , etiam
his tale Jus , uti descriptum , erit denegandum , & potius
insatiabilis Tyrannus , qui ^{ad} pretensione uti voluerit ,
quam Rex appellandus erit.

§. 3.

Verū cum ea Hypothesis : Reges habere Majes-
tatem plenē , etiam importet quod nullum alium
cognoscant Superiorem nisi , ut suprà dictum , Deum
& Ensem , facilè monstrabitur illam non adeò simpli-
citer posse asseverari.

§. 4.

Recepta communissima & argumentis satis firma-
ta est sententia ex Daniele Propheta , potentissimam
fore & usque ad mundi finem duraturam Monarchi-

am

am Quartam, nempe Romanam ; Eam verò cum tan-
tā potentia, & reliquias non nudā Dei permissione sed
præcipue positione ac Directione ortas esse & fulciri
nemo sanus negabit. Sequeretur enim è contrario,
Dei nullam planè in mundo esse voluntatem ac illum
sibi ipsi derelictum, principia sanè viam ad *αθέοσιν* fa-
tis sternentia. Præterea Exempla Nabuchodonosoris
& Dei ipsius populi, qui eō tempore quō fidelis erat,
Alexandro Magno obedientiam debebat præstare, mul-
taque in sacris alia, & ipsum Christum agnovisse Mo-
narchiam Romanam, Dei prædestinationem hīc ope-
rantem satis evidenter edocent.

§. 5.

Clarus in textu sensus quartam nempe Roma-
nam Monarchiam ad finem usque mundi duraturam.
Ex hoc præsupposito fluit, eam necessariò in hoc orbe
adhuc vigere : Si viget, videbimus sedem & Monar-
chiam Romanam, nullum profectō alium inveniemus,
quam Imperatorem Romano-Germanicum, & qui-
dem Christianum, quem omnes Reges agnoscent, to-
tus orbis dignitatis ejus & gradus Excellentiam admi-
ratur, itaque sine ullo dubio pro tali habendus.

§. 6.

Maximam ejus fore potentiam ejusdem Textūs
verba sunt. Jam quis eam fortè ad tempora mixti &
irregularis Statūs Romani restringendam putet, id
quod, cùm generalia dicta sint verba, probandum.
Sed positō, non concessō, hoc verum esse, movebitur
quæstio : An reconvalscētia ejus potentiae non spe-
randa, & nullum Jus in provincias abscissas restet? Jam

cum utique affirmanda sit ultima, Jure quoque speranda
erit impletio quæstionis primæ.

§. 7.

Videamus quò modò sint amissæ provinciæ. Occidentales per incursionses Gentium Germanarum, Hispaniam Gothi, Galliam Franci, Italiam Longobardi & ante hos alii, Britanniam Angli Saxones &c. occupare. Africam & Asiam Saraceni & Turcæ truculentis avulserunt manibus.

§. 8.

Leguntur passim apud Historicos, Gentium & Urbium conditarum in Conditores beneficentia, e.g. apud Justinum, Massiliensium in Phocenses &c. Et cum Romani Asiam ingressi Ilion venissent, mutua gratulatio Iliensium ac Romanorum fuit. Iliensibus Æneam ceterosque cum eo Duces à se profectos, Romanos, se ab his procreatros referentibus, Tantaque lætitia omnium fuit, quanta esse post longum Tempus inter parentes & liberos solet. Juvabat Ilienses nepotes suos Occidente & Africâ domitâ Asiam ut avitum regnum vindicare, optabilem Trojæ ruinam fuisse, dicentes, ut tam feliciter renasceretur. Profecto Gentium Germanarum emigrationes qui consideraverit, honestius illis populis nihil putabit, quam ut summam Majestatem & gloriam in stirpe & eō locō quō originem traxere admirarentur, colerent, & participantes rursus coalerent ac unirentur, tanto magis quod in tali unitate Religioni Christianæ conformi, tot bella, tot strages, tot excidia locum invenire amplius non poterant. Verum cum hæc Reunio mutationem aliqualem Statuum inferat, facile quisque videbit, quorum

maxi-



maximè intersit, unde impedimenta & obstrunctiones
veniant & quod illa ex fundamento honestatis ac uti-
litatis potius optanda quam speranda.

§. 9.

Adest Jus nostri Imperatoris in Provincias avulsas
adhuc firmius. Imperatorem Romanum nemo negat,
proinde in omnia Jura Antecessorum florentissimorum
successit, alijs plenitudo potestatis quartæ Monarchiæ,
& cum eâ ipsa Monarchia cessaret, quod, uti monstratum,
contra S. Scripturam. Si omnia Jura Antecessorum
habet, salvum ei quoque erit Jus illud in Re, in o-
mnibus illis provinciis & Regnis quæ ab Imperio disse-
cta, ad quorum Retractionem & Titulus & promissio
eum adstringunt.

§. 10.

Probemus nunc Jus illud assertum in Re. Vi oc-
cupatæ sunt illæ provinciæ, possessæ quædam sine inter-
ventione Pacis, quædam avulsæ & occupatoribus per
pacem cessæ, aliquam quoque ab Imperatoribus ipsis
hostibus assignatam nonnulli ferunt.

§. 11.

Quod ad vi occupatas & sine interventione pacis
usque hūc possessæ attinet, sciendum quod possessores
unicè se fundent in Praescriptione. Regna verò & Re-
giones præscribi non posse ex eo clarum, quod semper
ad sit mala fides: Omnes nationes sciunt, & semper in
omnibus seculis per posteritatem reliquerunt, unde
venerint, quid occupaverint, cuius occupata fuerint.

§. 12.

Cedi per pacem Regiones posse non tam dubitan-
dum quam Cathégoricè negandum, Ac si casus adsit

pro-

provinciam sine Imperii periculo hostibus fuisse assignata, hoc non ab Imperatore sed ab hoste imperii factum est. Venit Imperium per Electionem, & inde particularis successio, ubi qui succedit Antecessorum nociva facta servare nequaquam obligatus est, praesertim in hac ponderosissimam materiam, ubi magis Reipublicæ & Monarchiæ quam sibi & suæ domui, quæ non nisi per Electionem potest succedere, est obstrictus. Negari quidem nequit Imperatorum quorundam imprimis Orientalium ultimorum familiam per successiōnēm Imperium fuisse consecutam; Sed certè in Historiis observavi subinde adjectum esse: Hic (filius) viante adhuc patre electus fuit. Et profecto successio illa ignavorum (aliter dubio procul se res habuisset, si virtuosorum fuisset,) in culpa est discriptionis Imperii. Honorius non de Româ ab Alarico captâ, sed de Gallinis suis simul perditis erat sollicitus, & hic cum suâ familiâ est, in quorum temporibus Romanum Imperium Occidentale direptum, Orientale diminutum fuit. Sed sicuti hic ipse Honorius Gothorum Regi Walliæ ob præstatam militiam Aquitaniam dedit, Leo Magnus Ostrogothis sub Theodomiro Pannoniam & Moesiam EX SUMMA NECESSITATE concessit, quas Regiones filius Theodoricus relinquens Italiam ab Odoacro purgandam, Zenonis jussu, occupavit, & tanquam hujus filius adoptivus possedit; Ita postmodum omnibus his fundamentis invalidis Justinianus haud detentus Italiam vindicavit & Gothis deletis recuperavit, Ac Carolus Magnus Imperator Occidentalis Aquitaniam Imperio restituit. E quibus paucis sed clarissimis Exemplis satis elucet, quod, cum nullo Jure provincia alii

Gen-

Gentibus ab Imperatoribus, nequidem ob benemerita
potuerint cedi, neque hostibus jam occupatas cogente
necessitate securè per pacem dari quivisse.

§. 13.

Incidenter & ad præsecandam malarum conse-
quentiarum viam notandum, doctrinam de non præ-
standis Antecessorum factis suprà memoratam nequa-
quam extra Imperatorem aliis Regnis & Regibus con-
venire. Nam quoad Exteros, suis limitibus Regna sunt
circumscripta & ad ampliationem nullum habent Jus
sicut Imperium, ac cessionibus de suo propterea obli-
gantur, quod, ubi Electio viget, Respublica consentit, &
ubi hereditaria plena successio, posteri sunt heredes
universales, ideoque nec subditis quæ ab Antecessoribus
acceperunt Privilegia possunt rursus eripere. Itaque
Camera Reunionum Regis Gallie, si justè voluisset age-
re, Imperio potius cum Rege & Regno se subjecere ac
reunire, (id quod ipse agnoscit Colbertus) quam ina-
nibus & scurrilibus Rationibus Reunionem aliarum
Provinciarum fingere debuisset.

§. 14.

Viget igitur & saluum Jus Imperatoris nostri in
Provinciis ab Imperio dissectis, ad earumque Recupe-
rationem & Reunionem sanctè obstrictus est. Sed
cùm vocetur semper Augustus & multæ Regiones sint
quæ Romanorum Imperium nunquam agnoverunt,
quaritur: An etiam ad has quascunque Jus habeat?
Et hoc affirmandum duximus.

§. 15.

Dixit & fecit Deus potentissimas quatuor Monar-
chias sine præfinitione finium. Ita Assyrii & Nebucad-

D Nezar

Nezar quæcunque habuerunt obviam , subjugarunt.
Cyrus Scytha Orientales , Darius Occidentales in Eu-
ropa armis sunt aggressi. Alexander M. qui omnium
terrarum & Mundi Dominum appellari se jussit, extre-
mis bellum intulit Indis, ac in tantum quælibet natio
Monarchica nova Imperii quæsivit augmenta, donec &
ipsa secundum nutum Dei effeminatis suis moribus o-
riginis alterius dederit occasionem. Quodecumque igit-
ur Jus habuere priores tres, id ipsum & quarta Monar-
chia habebit, præsertim cum Deus hanc voluerit omni-
um potentissimam. Evidenter jam sub Ethnicis auspic-
ciis maximè valuit, sed cum ad finem usque Mundi du-
rare debeat , & Romanâ virtute penitus enervata ad
Germanos sit translata , utique cum hi in totô orbe
nunc æstimentur fortissimi, ut Christiani majus firmâ
spe poterunt expectare & aggressione Impiorum quo-
rumlibet consequi Imperium quam Reliqui qui fuere
omnes Ethnici populi. Veteres Romani Imperatores
Christiani Imperium quod ab Ethnicis acceperunt validum , translocatione sedis, divisione & successione i-
gnava ac vitiosâ debilissimum vastatumque reliquerunt,
inò ad interitum usque perduxerunt ; Deum vero
quælibet maximæ potentiae in Mundo Imperia Infide-
libus concessisse, neque in unico nominis sui gloriam
& magnitudinem aperte conspicere velle , nemo certe
persuaderi se patietur. Sed cum tria abierint & quarti
quoque splendor ab Initio in Ethnicis fuerit, in hujus fi-
ne appareat Christiani nominis Magnificentia , neces-
sum erit. Itaque in compendio concludendo dicam,
quod, cum nullæ Monarchiæ, præsertim nec Romanæ,
sint positi fines, illi quoque maxima extensio in totum

com-

competat Orbem. En Lector Benevole verum illud Jus de Bienseance nostri Imperatoris & quidem Christiani, quod eō clarius foret, quō latius felicibus extensum successibus unitatem & cum eā, secundum Regulam, perfectionem conficeret.

§. 16.

Equidem non ignoro Danieli Magno illi Prophetæ Statistico simul revelatum, Animalis Romanorum Monarchiam denotantis decem Cornua significare decem Reges ex eā orituros, Quoniam verò Reges & personæ dictæ, non poterunt esse Regna, uti multi volunt, qui tamen illa nequaquam convenienter enumerare sciunt. Quicquid sit, sive Regna sive personæ sint, incassum omnes laborabunt qui veram explicationem quaerunt. Notabile ceterum est, decem cornua Animal istud statim ab initio habuisse, Interim diligens Lector facile videbit, si divinandum, per occasionem ejus animalis & abjectionem in ignem nihil aliud significari potuisse quam interitum potentiae Ethnicorum & Turcæ in quarta Monarchiâ, post quem gloriosum illud Sancti populi nempe Christianorum sub toto cœlo Regnum, quod si jungas cum fine Romani, omnia illa huc pertinet quæ in hac Sectione de Magnitudine quartæ Monarchiæ sub Christianis dixi, si mavis separatim habere, deducta Jura fulcimentum & approbationem invenient in expressâ Dei voluntate. Certum tamen ex immedietate connexionis, & cum Imperator noster Christianus Romanô adhuc utatur titulo, maximè necessarium esse, ob perversitatem animorum, inhærere priori sententiæ & Jura ex successione Romanorum fluentia omnibus

ob oculos ponere, per eaque hos convincere qui Dei voluntatem circa hanc materiam futuram nudè ex Prophetiâ aut non cognoscunt aut non cognoscere volunt. Huic sensui itaque accommodanda quæ §. 4. & 5. de duratione Monarchiæ quartæ usque ad finem diximus.

S. 17.

Ait Hermannus Conringius libro peculiari de Germanorum Imperio Romano cap. 3. §. 8. Nulla Legge Romanos præ aliis populis in occupandâ vel minimâ terræ parte singulare aliquod Jus habuisse, cum neque ex Sacris literis nobis constet quicquam de divino aliquo instituto, neque historiæ nobis prodant gentium omnium ejusmodi quem consensum, neque liceat firmis rationibus ex naturæ principiis arcessitis istiusmodi quid persuadere. Sed cum primo membro, quod nempe divinum aliquod institutum desit, in §. præced. 15. contrarium luculenter monstratum, neque reliquis respondere habemus necessum.

S. 18.

Idem Auctoř dict. Tract. c. 5. vult evincere: Jura recuperandi provincias amissas Occidentalis Imperii non superfuisse Romanis, (proinde nec Imperatoribus in Occidentali Imperio.) Sed errat (1.) quod paret jura illa quibus Romani sua tenuere, non fuisse alterius ordinis, quam quibus alii populi sua possident; Sanè ex Monarchiæ Jure à Deo datæ alia firmiora fluere satis vidimus. Et quando (2.) §. 3. contra Vasquium aliosque statuit Regna posse usucapi & longò tempore præ-

præscribi, non sufficiens est ratio adducta : humanae
omnis Societatis interesse , ne quarundam rerum diu
& ferè semper incerta Deminia sint , & ut aliquis li-
tium sit finis : Nam nuda natura sine clara Dei vo-
luntate planè dicitat : Nullo modò me rem alii in-
juriā ereptam , præsertim cum ego meique hæredes
aut successores sciant quomodo ad eam pervenerint,
in quiete & bonâ conscientiâ posse possidere , ac justo
Domino denegare . Eftne hoc suum cuique tribuere ?
Nulla poterit esse securior societas quam si omnes u-
num subeant Imperium , ibi certum Dominium & li-
tium certissimus finis . Itaque cum firmiora sint , uti
demonstratum , Jura Imperii Romani quam reliquorum
Regnorum , Ius radicatum in amissis , quod nulla præ-
scriptio , malâ conscientia innitens , potest elidere , &
securissima societas in omnium unitate , superaddu-
cta ratio , Medico alio quam Conringio habebit opus.

§. 19.

Testimonium Jephæ hic non pertinet ; Erat il-
la Regio Judæis promissa à Deo , quod ipse agnoscit Au-
ctor §. 9. cap. 3. Prohibuerant ejus populi Israelitis
transitum , En argumenta quibus Jephæ superstruit su-
am præscriptionem . Videant nunc occupatores Ro-
mani Provinciarum Imperii an etiam talia possint in-
venire .

§. 20.

Sanè miratus sum Germanum Subditum , ut fuit
Conringius , summo conatu in detrimenta ac dehone-
stamenta patriæ & Romani Imperii laborasse . Papæ

voluit nocere, & hoc non credidit fieri posse, nisi & Imperii Jura aggredieretur. Utrinque opus perditum. Sed sicuti jam longè Tractatus soepe memoratus multorum manibus tritus, & injuriæ Patriæ inflictæ sub involucro magnæ eruditionis venditæ sint, tempus erit detegendi falsitates & inconvenientia, quod datis horis & loco, cum dejectis jāmnunc fundamentis principalibus solummodo specialiora ac dependentia superinstructa restent, facile foret.

§. 21.

Hugo Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 22. XIII.
Dantem Aligerium statuentem Jus Imperandi in quosunque populos Imperatori Romano competere ex eo quod id humano Generi expediat, reprobat allatō simili: Ut navis aliqua ad eam Magnitudinem venire potest, quæ regi nequeat, sic & hominum numerus & locorum distantia tanta esse ut unum Regimen non ferat. Sed quemadmodum non discernit inter virtutes & virtia personarum Regentium, ita quoque oblitus est differentium modorum quibus omnes subditi esse & recognoscere in graduum qualitate summum possunt Imperium. Ipse Auctor dum statim post hoc expedire concedit, simili renunciat & veritatem agnoscit. Ceterum nos non habemus necesse, unico huic argumento inniti, cum magis convincentia apparuerint. Quæ idem Grotius Lib. 2. cap. 9. XI. & sparsim adducit, partim ab aliis, partim suprà sunt refutata. Notavi in fine Conringium in præallegato Tractatu solummodo armis Grotianis ex dicto L. 2. cap. 22. XIII. desuntis pugnasse.

§. 22.



Supereft igitur deductis Imperii Juribus , devotissimis gratulari acclamationibus ea habenti . Vivat Leopoldus Magnus ! Vivat Josephus fortissimus ! Vivat Carolus Sapiens ! Et sicuti apud Romanos credebatur Scipionum opus æmulam vincere Carthaginem , cui mox fecutus , secundum Florum , totus terrarum orbis ; Ita (absit tamen comparatio personarum) Domus Austriaca omnium Illustrissima invictis ut subigat ac puniat armis , æmulorum Imperii pertinaciam ac Puniam fidei . Fata volunt . Pretium victoriae orbis .



三

Fx 2148

§



G. VOIGTH
DISCURSUS
DE JURE
De
BIENSEANCE,
hactenus intacto,
Anno 1704.

Angepflockt
F. 2148

